

*ambulare debemus*; monente B. Seb. Schmidio in Comment. suo ad hunc locum, quia tam perfectè ac sanctè ambulare non possumus, quemadmodum ille ambulavit.) Non verò in omnibus hujus vitæ actionibus: *Imitatio enim limitata non absoluta intelligitur*, dicente Prücknero in Vindiciis suis Biblicis ad hunc locum, aliàs si secundum literam strictè velimus verba intelligere, tunc Sociniani habebunt quod volunt, nimirum nobis ita sanctè sine omnibus peccatis erit ambulandum, quemadmodum ille ambulavit. Præterea aliæ absurditates inde sequerentur: E. G. Nobis ita erit moriendū, quemadmodum Christus est mortuus: Spatio 40. dierum cibo erit abstinendum: Sutor non poterit conficere calceos; nullus poterit mundanus Rex aut Princeps esse; & quæcunq; sunt alia actionum genera. Si ergo nolimus absurdas has consequentias inde deducere, universalitas erit relinquenda & ipsum dictum sequenti modo explicandum. *Qui dicit, se in ipso manere, debet etiam prout ille ambulavit, ita & ipse ambulare*, nimirum in iis, quæ à nobis fieri possunt & debent. Nunc autem non possumus Dominum nostrum imitari in tantæ sanctitatis aut propriæ abnegationis gradu; Unde eam differentiam solidè ostendit Dn. Heßler Gottfried Masius, in *Evangelische Unterrichts von wahrer Selbstverläugnung* Part. I pag. 54. Neq; voluit Christus, ut eundem imitemur in rebus indifferentibus, sed tantum in moralibus. Vid. Dn. Samuel Schelgwigius in Synopsi pag. 386. & M. Rothen in *seinem Unterrichts von Mitteldingen* pag. 99. Et quid respondebunt Novatores, si ex Scriptura Sacra demonstrare velimus, quod Christus omnino etiam potuerit gaudio frui mundano, si voluisset, & per consequens, multis etiam adiaphoris, quibus ex libera abnegatione non est usus? Si quidem expresse dicitur Hebr. XII. 2. *Qui pro sibi proposito gaudio, sustinuit crucem.* Ad quæ verba Lucas Osiand. sic scribit; *Christus ipse cum potuisset in his terris, in magna gloria, felicitate, & majestate vivere, maluit (ad procurandum nostram salutem)*